



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, f. 45rb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 25 quaeritur utrum liberum arbitrium se extendat ad omnia opera humana.

Videtur quod non. Omnes enim actus liberi arbitrii sunt in potestate nostra, sed quidam actus sunt in nobis qui non sunt in potestate nostra, sicut actus vegetativae partis; ergo illa non subiaceret libero arbitrio.

Praeterea. Liberum arbitrium cogi non potest, sed quidam sunt actus nostri qui cogi possunt, sicut homo potest a motu aliquo impediri per violentiam contra voluntatem suam; ergo omnia opera humana subiacent libero arbitrio.

Contrarium dicit Damascenus, qui dicit II libro quod homo libero arbitrio inquit, eligit impetum facit ad opus, et sic de aliis; ergo omnia opera humana praecedit a libero arbitrio.

Ad evidentiam huius quaestionis sunt tria videnda: primo ostenditur quod in nobis habeat esse liberum arbitrium quod quaestio supponit; secundo ostenditur quod cogi non potest; tertio ostenditur qualiter omnia opera humana subiacent libero arbitrio.

Quantum ad primum sciendum quod hominem esse liberi arbitrii ostendunt praecepta prohibitiones poenae et huius quae omnia non fierent nisi in potestate hominis esset mala facere vel non facere. Ad cuius evidentiam sciendum quod agentia propter finem se habent in triplici differentia. Quaedam enim agunt propter finem quae tamen omnino carent iudicio, sicut lapis movetur deorsum et hoc modo agunt omnia carentia cognoscere; alia autem sunt quae agunt iudicio non omnino libero, sed quodam naturali instinctu, sicut quod ovis fugiat lupum; hoc habet ex naturali instinctu sive aliqua collatione praeconcepsi et hoc modo agunt bruta carentia intellectu; alia sunt quae sic agunt propter finem quae tamen agunt iudicio non quocumque, sed libero arbitrio, sicut habentia intellectum. Homo enim iudicio et arbitrio per intellectum iudicat aliquid in particulari esse prosequendum vel fugiendum; et illud est liberum arbitrium cuius ratio est, quia omne iudicium quod sequitur collationem rationis est liberum et ex hoc quod sequitur collationem rationis potest ferri ad diversa quod est liberantis; sed circa operabilia contingentia determinat intellectus per discursum et collationem rationis; ista determinatio est ex iudicio libero arbitrio, quia igitur homo intellectum et rationem habet per qua discurrit ab uno in aliud; ideo oportet ponere in homine libertatem arbitrii.

Quantum ad secundum sciendum quod duplex est coactio quaedam sufficiens quae vocatur compulsio qua aliqua necessario compelluntur per aliquid ad faciendum aliquid; quaedam vero insufficientis qua vocatur impulsio per quam aliquis inclinatur ad faciendum et loquendum aliquid; secundo modo de coactione dico quod liberum arbitrium cogi potest in quantum per dispositionem aliquam secundum habitum vitiosum vel virtuosum potest inclinari ad id ad quod inclinatur habitus loquendo tamen de prima coactione sufficienti quae vocatur compulsio impossibile est ipsum cogi. Ad cuius evidentiam advertendum quod isto modo aliquid compellitur dupliciter: uno modo compellitur aliquid ex subiecto, alio modo ex obiecto. Ex subiecto autem compelluntur omnes potentiae animae organae alligatae. Cum enim tales potentiae operationes suas non habeant sive organo corporali facta compulsione in organo et ipsae virtutes ab operatione prohibentur et compelluntur; quaedam autem sunt vires quae non compelluntur ex subiecto, quia non sunt vires organae corporis alligatae et tamen bene compelluntur ex obiecto sicut est potentia intellectiva quae veritate demonstrationis cogi potest; voluntas autem neque subiecto cogi potest, cum non sit potentia organo alligata, neque obiecto, quia



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, f. 45rb
transcribed by Andrea Colli

in quamcumque ostenditur enim aliquod bonum tamen in potestate sua est eligere vel non eligere et ratio est quia cum obiectum intellectus sit verum obiectum voluntatis bonum tunc intellectus et voluntas possunt cogi ab obiecto ut necessario interferantur, quando invenitur tale verum cui nulla falsitas admiscetur vel tale bonum quod in se habeat plenam et passivam rationem boni et quia est aliquod verum creatum cui nulla falsitas admiscetur ut sunt potentiae dignitates et etiam earum oppositis nulla veritas admiscetur, ideo respectu talium potest intellectus cogi et eorum oppositis nullo modo potest assentire; sed quia in hiis quae sunt ad finem nullum talem bonum invenitur quod omnimodam rationem boni habeat nec aliquod malum quod omni bonitate careat, ideo a talibus voluntas cogi non potest quin possit hoc vel illud libere eligere tamen si proponeretur aliquid voluntati quod omnimodam rationem boni haberet respectu illius cogeretur; unde non potest non velle beatitudinem in qua omnis sufficia includitur et quia electio quae est actus liberi arbitrii est eorum quae sunt ad finem cum in talibus non sit plenissima ratio bonitatis; ideo in talibus liberi arbitrium cogi non potest.

Quantum ad tertium principale sciendum quod aliquis actus potest esse alicuius potentiae dupliciter: uno modo quia ab ipsa elicitur; alio modo quia ab ipsa potentia imperatur. Ille autem actus proprie a potentia elicitur qui immediate ab ipsa potentia procedit sicut intelligere est ab intellectu et hoc modo non omnes actus humani sunt liberi arbitrii, sed solum ille actus qui est eligere; verumptamen quia illud dicitur aliquid movere quod habet illi imperare cum voluntas habeat omnibus viribus animae imperare, ideo omnes potentiae animae et actus eorum secundo modo moventur ad imperium voluntatis et liberi arbitrii et iso modo omnes actus humani sunt ab ipso libero arbitrio.

Ad primum dicendum cum homo sit homo per rationem tantum illi actus sunt humani qui sunt virium rationalium vel per essentiam vel per participationem virtutes autem nutritivae nullo modo participant rationem et ideo actus earum non sunt humani et propter hoc nihil de eis ad quaestionem.

Ad secundum dicendum quod liberum arbitrium in suo actu qui est eligere non potest cogi ut dictum est, licet posset cogi in actibus imperatus ab ipsa.